

DE
PRAEDESTI-
NATIONE

Disputatio Quarta.

SCRIPTA

PRO DEFENSIONE ARTI-
CVLI QVARTI IN VISITATIO-
ne Misnica propositi, aduersus ea, quæ ei-
dem articulo nuper DANIEL TOSSANVS,
Sacramentarius Heidelberg-
sis opposuit.

IN QVA

SVE PRAESIDIO

GEORGI MYLLII S.
*Theologiae Doctoris & Professoris
in Academia Ienensi,*

PRO DOCTORATV IN
Theologia consequendo respon-
debit publicè

M. LEONHARDVS HVTT-
ERVS VLMENSIS.

Die XXI. Decembris. Hora &
loco consuetis.

IENÆ
TYPIS TOBIAE STEINMANI,
ANNO MDCCCIII.

NOBILI ET AMPLISSIMO
VIRO, IOHANNI RVDOLPHO
EHINGERO à BALTZHAIM I. V. DOCTORI
eximio, Reipubl. Ulmenfis & Lindauien-
fis aduocato fidelissimo, amico
suo colendo. S.

DVorum beneficiorum recordor sem-
per, Amplissime vir, quoties memoria mihi
subit, quæ subit sanè frequentissima, exitij il-
lius, quod decennio abhinc, eiectus domo, pa-
tria, ministerio Augustano pertuli, quæ apud vos agentis
mihi obtigerunt planè maxima. Alterum à Senatu Am-
plissimo in me profectum fuit, qui patriam profligatam, pa-
tria donauit altera. Neq; enim alio, quàm patriæ loco
esse mihi poterat habitatio, quæ exuli mihi, & hostium
insidijs ac persecutione vndequaq; petito, cum tuta, tum
honestâ, tempore benè longo apud vos concedebatur.
Alteram à te exhibitum sensi, qui à patre matreq; dere-
lictò, non patronum magis, quàm patrem te & mihi, &
meis paratissimè prabuisi. Quod utrumq; summum sanè
beneficium ego, dum viuere me in hisce terris volueris
Deus benignissimus, commemorare, prædicare, admi-
rari non desinam. Atq; utinam diem illum videre queam,
quo referendi huius beneficij utriusq; obtingat mihi occasio,
quæ ego ita sanè usurus essem, ut cum non malè collo-
cati beneficij sensum hætenus habueritis, tunc etiam v-
tiliter elocati specimen ac fructum essetis percepturi. Cu-
ius voluntatis meæ testimonium tum amplissimo vestro
Senatui, tum tibi etiam presentis disputationis occasio per-
hibebit. In ea enim produco respondentem ornatissimum
virum M. LEONHARDVM HVTTERI patris ὁμωνύμου,
quæ

qui Ecclesiastico apud vos munere fungitur, filium. Produco autem responsurum pro Gradu in Theologia Doctoreo, qui in ordine nostro summus est. Hic ego non in ciue tantum vestrate, quod vel solum magnum apud me futurum erat, sed Senatus vestri quondam alumno etiam, Propheta vestratis filio, imò etiam nepotis tui quondam, nunc agnatorum tuorum, prudentissimi apud vos consulis, Domini IOHANNIS CHRIST. EHINGERI à Baltzhaim Filiorum, adolescentum sanè non ortu magis, quam virtute nobilissimorum, in studijs ac moribus Magistro ornandum versaturus. In eam ergo curam sic incumbo, ut quam huic impensurus sum operam, eam vobis etiam daturus ex magna parte mihi esse videar. Te quidem Amplissime vir, Patrone & amice colende, quasi ob oculos versari mihi videor, dum in eo ornando iam versor, quem tu aliquoties literis tuis commendatum mihi esse voluisti. Nam quia tuo maxime beneficio ad eam conditionem peruenit, in qua honor illi prasens obtingit, obtingesq. propediem. uti planè spero, longè amplior, quid nisi tui honoris, iam antea planè summi, accessio quadam futura est, quacumq. ipsi dignitas porro obuentura est. Qua ut Ecclesie Scholisque, tam sit salutatis, quam est non tibi tantum: sed consuli etiam agnato, imò Senatui vestro amplissimo, totiq. Reipubl. honorifica, etiam atq. etiam ex animo precor. Vale in Domino, & quod facis, amare me amantem tui perge. Data 16. Decembr. 1593. LBNÆ.

T. Observantissimus

GEORGIVS MYLIUS D.

A 2

DE



DE ELECTIONE ET
PRÆDESTINATIONE
DEI AETERNA.

THESIS VISI-
tatoria. I.

ANTITHESIS CALVINI-
anae doctrinae.

*Christum mortuum Deum non pro o-
mnibus esse pro omnibus mnib., hominibus: sed
hominib. & ceu agnum pro electis duntaxat
Dei, totius mundi pec- esse mortuum.
cata sustulisse.*

TOSSANI PRAEFATIO.

HIC CVM TRIBVS, AVT
quatuor tantum thesibus, ijsq, ad do-
ctrinam prædestinationis & electionis
propriè non pertinentibus, suam sen-
tentiam complexi sint Ubiquitarij: nos
paucis thesibus doctrinam Ecclesia-
rum ea de re proponemus.

AFFIRMATIVA I.

Ephes. I.

Deus ab aeterno gratis elegit in Christo, quos
ordinavit ad vitam aeternam.

Non

2.

Non igitur vel fides, vel opera prauisa, causa sunt *Matth. 13.*
Electionis: sed Electio est causa fidei, quam Deus donat & *Ephes. 2.*
inspirat electis. *Phil. 1.*

3.

Cætus ille Electorum constituit Ecclesiam propriè sic *Tu. 1.*
dictam, quæ est communio sanctorum.

4.

Pro illo cætu, id est, pro Ecclesia, siue pro omnibus suis
se exposuit Christus, eas iustificans suo sanguine per Chri-
stum, & sanctificans ad vitam æternam, ad laudem ma-
gnæ suæ misericordiæ.

5.

Neque tamen negamus, quod Scriptura affirmat,
Christum mortuum pro omnibus, & esse agnum Dei tol-
lentem peccata mundi. Sed rursus propositiones istas uni-
uersales iuxta Scripturas interpretamur, quod nimirum
nulla sit exceptio personarum apud Deum, & sit Euange-
lium potentia Dei ad salutem omni credenti, siue Iudæus
sit, siue Græcus, siue mas, siue femina.

6.

Vnde & Ecclesia Catholica, id est, vniuersalis voca-
tur, non quod vniuersi & singuli homines sint membra
Ecclesiæ: sed quia ex toto mundo colligitur per predica-
tionem Euangelij, nec certo loco, aut certa genti sit alligata.

NEGATIVA TOSSANI I.

Hos errores reijcimus. 1. Mortis Christi beneficium
equè ad reprobos, ad canes, lupos, porcos & impuros o-
mnes, atque ad Electos pertinere, & omnes indifferenter
mundari à peccatis & ad Dei templum sanctificari.

A 3

RESPON-

RESPONSIO I.

ET numerum thesum vellicat Tossanus, & qualitatem. Illud, ut sciolus & gloriosus. Hoc, ut incogitans. Vtrunq; ut stolidus.

2.

Quid enim? quatuor atrocissimis, & ad auditum saltem horrendis: in vulgus autem scitu dignissimis Sacramentariorum de prædestinatione erroribus, si rotidem opponantur sanioris doctrinæ de illa materia aphorismi: an id in Visitatione Ecclesiastica non sufficit?

3.

Sunt quidem adversariorum complures de hoc doctrinæ capite errores, qui in progressu recensentur. Sed & ex vngue leo cognoscitur: & in minutissima quæq; in hoc genere institui, fructuosè inquisitio non suscipitur.

4.

Ain tu verò, mi Tossane, de thesibus agi ad doctrinam prædestinationis & electionis propriè non pertinentibus? Cur tu ergo in tua luculenta (scilicet) diexodo de singulis ipse disputas?

5.

Iam si de causis prædestinationis subordinatis, quas non minus, quàm ipsum finem prædestinatio semper complectitur: si de genere & complexu eiusdem: de electorum conditione & perseverantia: de quæ electionis contrario, reprobatione scilicet doceatur: an hoc est theses ad doctrinam prædestinationis propriè non pertinentes proponere?

6.

Bella verò atq; arguta perquàm est aduersarij,
quam

quam instituit, d. exodus, cuius mirum est, ita desipuisse Visitatores Misnicos, quod non mutuati sunt à Tosfano exemplum.

7.

Primum enim statim calorum ipsorum claustra perumpens, inq; ipsam æternitatem omnium æternitatem penetrans, decreta pandit, quæ de salute hominum ab æterno Deus, intra secretissima consiliorum suorum adyta constituerat.

8.

Hic nimirum fanaticorum hominum mos est, Mysteriorum secreta non à posteriori: sed à priori cognoscenda hominibus proponere.

9.

Scriptum est à Chrysostomo scitè: Qui res diuinas ex philosophia intelligat, eum candens ferrum non forcipe: sed digitis contrectare. Verissimè id de hac etiam docendi methodo asseritur.

10.

At nos pro simplicitate nostra, Theologorum secuti monita, præcipuè cum res est in publico, à posteriori mysteria capessimus, & à notioribus ad ignota, à planis & perspicuis ad obscuriora progressum facimus. Quod in præsentì etiam doctrinæ capite vel maximè obseruandum ducimus.

11.

Iam ex abrupto profilit aduersarius, ab æterno electionem saluandorum à Deo factam asserens, præterita omni lapsus primævi mentione, quasi hæc in nullam Deo eligenti considerationem venerit, sitque ordine etiam ipso electione posterior. Cui scotomix blasphemum illud absoluti decreti tum in præ-

prædestinando ad vitam, cum reprobando ad mortem commentum deberetur, quo perniciosius fidei vitæque hominum ab orbe condito vix auditum fuit.

12.

Accedit tandem illud, quod cornicum oculos confixurus aduersarius, ea profert in medium, de quibus, suo loco dictis, non est planè vlla nobis cum aduersa parte, controuersia.

13.

Nam gratis in Christo factam esse electionem, libenter concedimus. Non propter fidem vel opera nostra præuisa factam esse, vtrò largimur. Contrariam .n. vtriq; assertioni doctrinam Formula Concordiæ (exempl. Lat. Lipsensis f. 603.) dilertè, vt erroneam reiicit. Electorum coetu constitui Ecclesiam, propriè sic dictam, inficias nunquam ibimus. Vt mirum sit, cum vix vsquam Scripturas magnoperè fatiget aduersarius, cum hic plus solito *παρὰ τὸν* fuisse.

14.

Cum ad id, quod est in quæstione, porrò aduersarius accedit, oblitus nimirum sui, qui id ad doctrinam prædestinationis propriè pertinere nuper negauerat, momentum tamen controuersiæ ipsius nusquam attingit, dum pro cætu Electorum, id est, pro Ecclesia
Affirm. 4. siue ouibus suis Christum se exposuisse asserit.

15.

Non enim de parte generis humani, sed de ipso vniuerso hominum genere controuertitur, & hoc in quæstione versatur, vtrum electorum duntaxat particularem: An verò hominum, quotquot vixerunt, viuunt, victuriq; sunt, omnium, vniuersalem redemptionem, morte atq; expiatione sua Christus expedierit.

Priorem

16.

Priorem sententiam Sacramentarij probant.
Nos posteriori firmiter insistimus.

17.

Notandum autem probè est, aduersarium pari hîc candore usum esse in recensenda sententia nostra; quo antea fuit vsus in profitenda sua. Nam quem admodum tum posuit pro suæ partis confessione, quod nulla sui parte controuersum est: ita hîc partim alienissimam à nostra doctrina sententiam nobis affingit, partim earum phrasium ambiguitate grauat Ecclesiam nostram, quæ summam impietatis suspicionem affricare ipsi poterant.

18.

Thesis nostra prima habet, Christum pro omnibus hominibus mortuum, ceu agnum Dei tulisse mundi peccata.

19.

Huic Negatiuam istam opponit Tossanus, Hos errores reijcimus, Mortis Christi beneficium, æquè ad reprobos, ad canes, lupos, porcos & impuros omnes, atq; ad electos pertinere, & omnes indifferenter mundari à peccatis, & in Dei templum sanctificari.

20.

Christum pro omnibus mortuum esse, & Mortis eius beneficium pertinere ad omnes (nisi valdè laxè phrasin hanc accipias) plurimum inter se differre: Item, Christum tulisse peccata mundi, & omnes indifferenter mundari à peccatis, propositiones esse inter sese quàm maximè discrepantes: quis est pius, quin intelligat?

B

Priores

21.
Priores consummationem operis, quo redempti sumus, notant: posteriores applicationem, fide factam implicant. Non veretur tamen aduersarius ad fucum hominibus faciendum, has cum istis confundere: & pro istis, quas agnoscimus, has ad sensum nostrum minimè pertinentes, nobis affingere.

22.
Quia ergò nec suam doctrinam apertè profiteri, nec nostram candidè recensere audent isti homines: res hæc indubitatas planè reddit mentes nostras, ut persuasissimum habeamus, mala cum fide, tum conscientia istos causam istam agere, & ut Græci loquuntur, ἵνα θεῶν φυλάτῃωσι, ne quidem à figendis propriarum conscientiarum cauterijs abhorrere.

23.
Disp. Theol. Nec tamen opinandum est, aut semper, aut omnes
thesi 20. A. ita trepidos in hac causa esse Sacramentarios. Nam
89. Julij. 5. aliàs Tossanus scribere ipse non cohorrui, Grauem esse errorem, si Christus pro omnibus hominibus mortem dicatur oppetiisse.

24.
Montbelg. f. Nuper in colloquio publico scribere non sunt
514. veriti, Intolerabilem sibi videri vocem, Christum esse mortuum pro damnatis.

Zanchus in Aliàs scribunt, Christum esse propitiationem
Miscel. l. 2. f. tantum pro peccatis Electorum, qui aut iam credunt
280. in ipsum, aut sint aliquando credituri,

25.
Atqui aliter Scripturarum loquuntur oracula 2. Cor. 5. 14. Unus pro omnibus mortuus esse dicitur. 1. Ioan. 2. 2. Christus est propitiatio pro peccatis nostris.

stris. Non autem pro nostris tantum: sed etiam pro peccatis totius mundi. Ioan. 4. 42. Christus reuera mundi seruator est. 1. Timoth. 2. 6. Christus dedit se in precium redemptionis pro Omnibus. Rom. 8. 32. Deus non peperit proprio Filio, sed pro nobis omnibus tradidit ipsum. Esa. 53. 6. Posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum. Ioan. 3. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut omnis &c. In Symbolo Niceno habetur, quod Christus propter nos homines nostramq; salutem coelo descenderit, & homo factus crucifixus sit &c.

26.

Planius dici, quam quod his locis dictum est, pro sententia nostra, nihil quicquam poterat. Id quod collectivi primum, & vniuersales, quiq; his æquipollent, indefiniti ostendunt termini, Mundus, Homines, Omnes &c.

27.

Fauet etiam in solidum sententiæ nostræ distributio, qua in partes rem vniuersam spargit Scriptura. Nam quia duum generum in mundo sunt homines, pii nimirum, & impii, fideles & infideles: Scriptura non contenta vniuersali enunriato, *μεγιστον* addit, Christum non pro nostris tantum, piorum puta ac fidelium: sed totius etiam mundi peccatis mortem operijisse asserens.

28.

Fingetur, ac pone saltem, verum esse, quod Beza *Colloq. Morit* scribit, Mundi appellatione non vniuersaliter: sed *belg. f. 512.* indefinitè (vbi quid scribat Beza ipse non intelligit) humanum genus intelligi, & quidem ijs accommodata, qui in ipsum credunt. Quid sequetur? Vnitatis in

B 2

tis in

tis in partes fieri distributionem, cum vnitas, quatenus talis est, distributionem in partes non admittat. Perinde ergo sonabit ex Bezæ interpretatione, Apostoli illa aurea gemma, Christum non tantum pro electis: sed etiam pro electis mortuum esse.

29.

4. Ir. 6. Sed beat Tossanus partes suas nouo inuento responsionis ad testimonia illa Euangelij vniuersalia. Tanta est enim eorum perspicuitas, & in partem omnem aduersus elusionum quarumuis artificia, certitudo atq; firmitas, vt hîc terminum quasi petulantiae hæreticæ constituere voluisse Christus videatur. Certat igitur secum ipsa hominum istorum improbitas, & seipsam superatura, nouo specimine in Tossano sese exerit. Neque enim negari à suis inquit, quod Scriptura affirmet, Christum mortuum pro omnibus, esse agnum Dei, tollentem peccata mundi. Sed rursus propositiones illas vniuersales se iuxta Scripturas interpretari ait, quod nimirum nulla sit acceptio personarum apud Deum, & sit Euangelium potentia Dei omni credenti, siue Iudæus sit, siue Græcus, siue mas, siue foemina. Ita vt quemadmodum Ecclesia Catholica, id est, vniuersalis vocatur, non quod vniuersi & singuli homines sint membra Ecclesiæ: sed quia ex toto mundo colligitur, nec certo loco aut genti est alligata: sic Christus redemptor vniuersalis & mediator esse intelligendus sit.

30.

Maïe audacia Sacramentaria. Quondam sic eludebant istiusmodi testimonia, vt dicerent, Christum sufficienter quidem: sed non efficienter pro peccatis totius mundi satisfecisse. Id tolerari poterat, si consuetum etiam Ecclesiæ sensum retinuissent, quod

quod satisfactioni per Christum expeditæ, non ubi-
vis fides hominum respondeat, nec partam liberatio-
nem sibi debito modo omnes applicent.

31.

Sed cum Ecclesia sic loquuti, sensu minimè Ec-
clesiastico vsi sunt, sufficienter Christum pro omnibus
hominibus mortuum esse asserentes, sed non effici ^{Grynæus dis-}
enter, hoc est, Morti Christi non deesse quidem va- ^{sput. de vera}
lorem expiandi peccata omnium hominum, si ad ^{orth. fide}
hoc à Deo destinata fuisset. Sed hoc consilium, hanc ^{class. 1. Th.}
voluntatem Deo de morte Christi ab æterno nun-
quam constituisse, neq; hoc in animum suum Deum
vnquam induxisse.

32.

Fuit Sacramentarius, qui in dicto isto Apostolico,
Christum esse propitiationem pro totius mundi pec- ^{Zanchus}
caris, vocabulum *MUNDI*, pro optima mundi ^{scell. 1. 1. f.}
parte, id est, electis solis accipiendam esse scriberet. ^{280.}
Magistralis sanè interpretatio, Totus mundus, hoc
est, soli electi, aut vt Beza scribit, Sola vniuersalitas
electorum & credentium. Retineant hanc inter- ^{Colloq. Mo-}
pretationem Manichæi, & præsentis patrocínio cau- ^{belg. 1. 517.}
sam suam tueri poterunt, Deum mundi, hoc est, ele-
ctorum & credentium conditorem esse dicentes,
In ipis igitur & damnati creationis suæ originem ad
principium aliud, quàm Deum ipsum referent.

33.

Quanquam ista sese ipsa falsitatis arguit inter-
pretatio. Dicit enim Ioannes filiis suis, Chri-
stus non pro nostris tantum, sed totius mundi etiam
peccatis factus est propitiatio. Aut igitur Ioannes
cum filiis suis in credentium & electorum numero

B 3

non

non fuit: aut mundus non meliorem: sed deteriore
mundi partem significabit. Illud falsum est. Emergit
ergo pro rato hoc posterius.

34.

Sed Doctorea plane Tossani glossa est, notam
vniuersalitatis ad ordines hominum, aut vt Augus-
tinus loquitur, ad genera singulorum, non ad singulos
generum referentis, & *ῥαφικὴν* hanc esse interpre-
tationem gloriantis, allegatis locis Rom. 1. 16. &
3. 11.

35.

Sic ergo *ῥαφικὴν* erit etiam interpretatio, si ver-
ba Mosis, In principio creauit Deus coelum & terram
sic interpreter, In terra gentium ericium nidificasse,
& istic catulos enutriuisse atq; excubasse: quia verba
hæc leguntur in Scriptura Esa. 34. 15. Si obijcias, Dei
fieri mentionem, respondebo Tossanico more, Non
est acceptio personarum apud Deum.

36.

Atqui non mundum: sed credentes Apostolus
loco allegato distribuit in Iudæos & gentes. Est igitur
ἀγνοία ἐλέγχου, qua Tossanus fallitur.

37.

Quod si mundi etiam in *διχοτομίαν* istam ab Apo-
stolo alicubi fiat partitio: notum est, Græcorum no-
mine omnes omnino gentes intelligi, quæ extra Iu-
dæam erant. Quo sensu facta distributio, iterum Tos-
sani figmentum adeo nihil subleuat, vt prorsus etiam
eleuet.

38.

Consideretur autem, qualis hæc afflictarum &
pauidarum mentium sit futura consolatio, si ver-
bis Apostoli Sacramentaria illa affingatur interpreta-
tio.

tio. Sic enim compellendæ nobis erunt pauidæ istæ conscientiæ: Si peccauimus, ne consternato simus animo. Habemus enim advocatum apud patrem, Christum, qui ex omni hominum ordine aliquos redemit. Hoc consolationem fuerit conuertere in abyssum, & desperabundis funes desperationum necere, quod genus consolationum sibi ac suis Sacramentarij retineant.

39.

Quid est autem, cur de confuso atq; implicito sensu vniuersalis redemptionis per Christum factæ, tantoperè laboremus? cum Scriptura speciem etiam ipsam redemptorum impiorum, pereuntium, atque damnatorum disertè explicet.

40.

Serius monitor est Apostolus Romanis, ne perditionis causa fiant ei, pro quo est Christus mortuus. Et ^{Rom. 14. 15.} ^{1. Cor. 8. 11.} in eodem genere argumenti scribit Corinthijs, abusu libertatis Christianæ perditioni tradi eum, propter quem sit Christus mortuus. Quæ quæso vis erit argumento Apostolico, si pro peccante nemine Christum fuisse mortuum affirmabimus?

41.

De falsis Doctoribus & perniciosarum hæresium autoribus scribit Petrus, Quod Dominum ab- ^{2. Pet. 2. 1.} negent, qui ipsos redemerit, & sic subito exitio ipsi se inuoluant. Quo dicto quid planius dici aduersus figmentum Sacramentariorum possit, vix perspicimus.

42.

Hic ne deficere sed desinere aliqui videantur, ceu indignam piorum curam quæstionem hanc reiiciunt.

unt. Quid enim, inquiunt, ad nos impij & damnati?
De electis & saluandis agere potius conuenit.

43.

Sic fucum simplicioribus faciunt Sacramentarij,
vt non ponere, sed premere errorem ad tempus pos-
sint.

44.

Atqui hîc & veritatis oraculorum diuinorum
causa agitur: & aliæ haud obscuræ accedunt rationes,
partim religionis, partim iustitiæ diuinæ ita propriæ,
vt repudiare quæstionem istam semel motam nihilo
magis possimus, quàm veritatem ac religionem ipsam
agnitam prodere. Quod absit à nobis quàm longis-
simè.

THESES VISI-
tatoria. II.

ANTITHESIS CALVINI-
anæ doctrinæ.

*A Deo neminem esse conditum ad da-
mnationem: sed velle damnationem esse
Deum, vt omnes ho- mines salui fiant, & ad
eum, vt conuertantur agnitionem veritatis & salui
fiant. perueniant. Proinde mandat omnibus, vt
Filium suum Christum in Euangelio audiant, per
quod virtutem & operationem Spiritus sancti promittit
ad conuersionem & salutem.*

TOSSANI

TOSSANI AFFIRMATIVA VIII.

Admittimus & illud, & ita Ecclesia docent, finem creationis esse gloriam Dei, non damnationem: & tamen non damnari improbos fortuito, vel Deo simpliciter nolente, qui omnia disponit & ordinat ad laudem vel summa sua misericordia vel sua iustitia.

9.

Vt autem non delectatur interitu hominum, & omnes vult servari, qui scilicet ad agnitionem veritatis veniunt, & poenitentiam agunt: sic constantissima est eius voluntas, ut qui non credit, & ad eius cognitionem nunquam pervenit, pereat, & maneat ira, & condemnatio super eum.

10.

Tales etsi sua culpa pereunt: merito tamen reprobi dicuntur, & certo iustog, Dei iudicio reprobati, cum non detur eis credere in Christum, nec trahantur à Patre, sicut eos, quos elegit, vocat, iustificat, ad Filium trahit, ut det illis vitam aeternam. Et denig, cuius vult, misereatur: quem vult, indurat, ut loquitur Spiritus sanctus per Apostolum Rom. 9.

Ioan. 6.

TOSSANI NEGATIVA II.

Reijcimus hos errores, Deum omnipotentem, creatorem cæli & terre, de magna parte generis humani nihil constituisse: & sine eius ordinatione ac nutu, planeq, inuito ipso perire innumeros homines, cum ne passerculus quidem absq, eius voluntate in terram cadat.

3.

Discrimen inter electos & reprobos hoc tantum esse,
C quod

quod alij eligantur ob prauisam fidem, alij reijciantur, vel
quod nolint, cum possint, credere: vel quod fidem iustifi-
cantem, ipsis datam; amittant & excutiant.

RESPONSIO I.

MARE arduarum disputationum hic ingredimur,
quod in titulos quaestionum redactum, commo-
dissime, & ut speramus, Deo adiuuante, feliciter ena-
uigabimus.

2.

Prima quaestio est, Num Deus occulto quodam
decreto sic ab aeterno inter homines discreuerit, ut
quibusdam tantum, ijsq; paucissimis fidem & salutem
dare proposuerit: reliqua vniuersa, eaq; maxima ge-
neris humani parte ita odio habita, ut immutabili
consilio aeternae damnationi eam deuouerit, non vlllo
infidelitatis aut aliorum peccatorum intuitu: sed ex
absoluto atq; solo voluntatis suae arbitrio: An vero
Deus serio omnes ex aequo saluos cupiat, sicq; ab
aeterno erga vniuersum genus humanum affectus fue-
rit?

3.

Sacramentarij priori quaestionis parti subscri-
bunt, quam nos etiam referre exhorrescimus, & sic
comparatam esse existimamus, ut Diabolus etiam il-
lam proferre aut enuntiare reformidet.

4.

Caluini haec sunt pulchella emblemata, Deum
Instit. l. 3. c. 23. sect. 3. & 8. ab initio aliquos ad mortem praedestinasse. Reprobo-
rum perditionem pendere ex praedestinatione Dei.
Centies Deum esse autorem damnationis confiteor.

5.

*In Neost. a-
volog. f. 46.*

Parus reproborum damnationem a Deo non
tantum

tantum prævisam esse scribit: sed eos tanquam vasa
iræ ad eam ordinatos, & ad exitium præparatos esse
asserit.

6.

Boquinus reprobos non propter prævisam infi- <sup>In diss. Hei-
delberg.</sup>
delitatem, aut alia peccata: sed tantum secundum vo-
luntatis Dei propositum reiectos esse scriptum reli-
quit.

7.

Rennecherus Reprobationis causam nequaquam <sup>In aurea sal.
cat. fol. 37.</sup>
in homine, sed in suprema & prima causa, ipsamet ni-
mirum libera Dei voluntate quærendam esse annora-
uit.

8.

Beza effutijt, Deum non tantum ad damnatio- <sup>Vol. 1. f. 417
In N. testam.
super Rom. 9.</sup>
nem: sed etiam ad causas damnationis prædestinasse,
quoscunq; libuerit. Item reprobos, odio haberi à Deo
nondum natos, & nullo indignitatis respectu exitio
destinari.

9.

Idem maximum semper fuisse & esse istorum per- ^{Resp. 2. f. 161}
euntium numerum asseruit.

10.

Rennecherus multò plures ad exitium, quàm ad <sup>cat. f. 158.
C. 149.</sup>
salutem destinatos esse inquit,

11.

Paræus Deum ab æterno ex gratia paucos dun- <sup>Apol. f. 45.
C. 47.</sup>
taxat ad vitam elegisse, plurimos autem electione sua
præterijisse affirmat.

12.

De reprobis istis, autores duo proximi, scribunt, <sup>Paræus f. 45.
C. 47.
Rennecherus
f. 136.</sup>
Quod à Deo in vasa iræ preparati: ab eodem æ-
ternum odio habiti fuerint, & morti adiudicati
priusquam de peccatis aut infidelitate ipsorum in

C 2

men-

Instit. l. 3. c. 22. sect. 1.
Beza Resp. 2. f. 175.
mentem ipsi venerit; repelli ab eodem ab vniuersa gratia salutis, aut vt Calvinus loquitur, Dei nutu fieri, vt reprobis à salutis aditu arceantur, indurari, excacari, voluntates illorum malas à Deo impelli, scelera illorum à Deo non permitti tantum: sed in ijs etiam occultè operari.

13.

Exhorrescat cœlum: contremiscat terra: stupe-
scant elementa ad tam horrenda blasphemiarum
portenta, quæ Scriptura abominatur.

14.

Sap. 11. 25.
Ezec. 18. 23.
et 33. 11.
Nihil odisti eorum, quæ fecisti. Neq; enim o-
diens aliquid constituisti aut fecisti, inquit Sapientia.
Et Deus ipse, Nunquid voluntatis meæ est mors im-
pij? Viuo ego, nolo mortem impij: sed vt conuertatur
impius à via sua & viuat. Hinc sic argumentamur:
Deus nihil odit eorum quæ fecit. Ergo ex odio da-
mnationi hominum ab æterno neminem destinauit.
Rursus Damnatio impij, aliena est à voluntate Do-
mini. Ergo solo voluntatis arbitrio, absoluto bene-
placito, exitio æterno extra respectum impietatis ne-
minem deuouit.

15.

Et memorabile est, quòd à volente voluntate sua
alienam esse damnationem impiorum, Deus attesta-
tur. Sic enim habent verba Hebræa, Nunquid volens
ego velim mortem impij? Distinguit ergo inter vo-
luntatem absolutam siue simplicem, & mixtam siue or-
dinatam. Voluntate absoluta seu simplice negat se vel-
le impij cuiusquam damnationem. Duplex ergo blas-
phemia fuerit, quod Sacramentarij non intuitu im-
pietatis: sed libero diuinæ voluntatis proposito ma-
ximam

ximam hominum partem, damnationi destinatum
esse affirmat.

16.

Perditio tua ex te est Israel: in me autem auxili- *Os. 13. 9.*
um tuum, inquit in Proph. Dominus. Hinc tale argu-
mentum formamus: Contra distinctæ causæ nunquam
sibi inuicem possunt esse *ὑπόλληλοι*. Causa perditio-
nis propria, à causa salutis atq; auxilij contra distin-
guitur. Ergo illa huic nunquam potest esse *ὑπόλλη-
λοι*, ita, ut à quo primo principio salus dependet, ab
eodem perditio etiam proficiscatur.

17.

Teste Christo, Iudicium damnationis in incre-
dulitate & impietate totum vertitur. Qui non credit
iam iudicatus est, quia non credit in nomen vnigeni-
ti Filij Dei. Vnde tale argumentum nobis suggeri-
tur, Homines quotquot damnantur, intuitu infideli-
tatis damnantur. Falsum est igitur, nullo infidelitatis
aut indignatis intuitu hominem à Deo quenquam
condemnari.

18.

Accedit quod creationis opere consummato, *Genes. 1. 31.*
vidit Deus omnia, quæ fecerat, & ecce erant valde
bona. Atqui ad damnationem à Deo conditum,
bonum esse creatum nihil potest. Fieri igitur nequit,
ut creatorum hominum quisquam ad exitium con-
ditus sit.

19.

Et nugæ sunt, quas nugatur Tossanus, dum ad- *Affirm. 8.*
mitti, & sic doceri in suis Ecclesijs dicit, Finem cre-
ationis esse gloriam Dei, non damnationem. Nam
non de fine & sed de fine *ᾧ*, ut in scholis loquuntur,
quæstio est, & subordinati fines se inuicem non ex-
cludunt. Quod si ad damnationem, sine gloriæ suæ

C 3

Deus

Deus reprobos condidit: utiq; tamen ad damnationem condidit. Quod cum opere creationis pugnare iam ostendimus.

20.

Ecquæ verò iustitiæ diuinæ gloria hæc fuerit, damnare homines, quos alios nisi damnatos esse, æterno atque absoluto voluntatis decreto nunquam Deus voluerit? imò damnare nullo infidelitatis aut indignitatis intuitu, sed solo voluntatis ac beneplaciti arbitrio, ac condere deniq; iniustos, ut ex his damnatis iustitiæ declarandæ materia suppetat. Potentiæ hoc fortasse: at iustitiæ nunquam esse in Deo argumentum poterat.

21.

Cumq; causam huius decreti Radamanthici occultam esse ipsi fateantur: quæ esse quæso iustitiæ diuinæ declaratio ex occulta ratione potest?

22.

Deniq; nunquid in lapsu Adamico punito, lapsorum Angelorum damnatione, tandem etiam Filij sui morte non abundè erat materiæ Deo, ad iustitiam suam declarandam, ut figmentis istis asserendam, aut ad declarandam iustitiam suam, Deo necessaria fuisse damnatorum reprobatio existimeretur?

23.

Rom. 9. 13.

Obijciunt Sacramentarij verba Apostoli: Iacob dilexi: Esau autem odio habui: quo exemplo reprobationis dogma luculentè pateat.

24.

At non exemplum prædestinationis & reprobationis: sed typus duntaxat proponitur in personis istis probationis Apostolicæ, populi Dei veritatem
non

non in carnali priuilegio consistere: sed præter carnalis profapiæ beneficium, alia maiora requiri, quo nomine fiat, vt abijci à Deo, priuilegio isto fruente stante nihilominus promissionum diuinarum veritate, possint.

25.

Esto autem, posse istum locum, si sobriè tractatur, ad negotium prædestinationis accommodari, adeo vt hinc etiam sumta occasione, transitum in istam materiam Apostolus fecerit: applicatio tamen non facienda est secundum omnes allati typi partes: sed in ijs duntaxat, quarum gratia typus iste ab Apostolo est propositus, quales sunt, firmitas fœderis diuini in diuerso confœderatorum exitu: exclusio carnalium priuilegiorum in salutis negotio: denique gratuitum diuinæ bonitatis propositum in electione saluandorum.

26.

Reprobationis ergo absolutæ dogma non est huic loco ingerendum. Nam quamvis in reprobatione Esau, id est, abrogatione primogenituræ (quæ salua salute ipsius fieri potuit) causam primam nisi in voluntate ac beneplacito Dei quærendam esse nullam facile largimur: tamen in damnatione hominum idem fieri minimè concedimus.

27.

Quod ipsum quoque in comparatione prædestinationis & reprobationis, quo ad causam primam atque summam, obseruandum est. Nam illius quidem causam primam atque summam quemadmodum extra Deum quærere nefas est: ita damnationis principium ad eundem referre, impietate ipsa magis impium est.

Obten-

Röm. 9. 22.

Obtendunt Sacramentarij & illud: de vasis iræ ad interitum aptatis, quo reprobato ac reprobo suo reprobationis dogmati patrocinium paratum esse volunt. Ita enim Beza verbis illis in commentario suo succinit, Iterum ergo liceat cum Paulo dicere, quosdam homines à Deo opifice conditos esse ad interitum.

29.

At *πλεονεξίαν* respicit assumptio. Apostolus enim ostendens, quomodo vasa illa fiant talia, apparari quidem dicit interitum: non autem dicit apparari à Deo, quod blasphemè Calvinistæ assuunt. Sed absolute dicit duntaxat, Apparari. Apparantur autem illa tum à seipsis, tum à Diabolo.

30.

Ostendit id, atq; euincit ea, qua Paulus in re præsentis vritur, locutio. Nam illa ad interitum apparata vasa, à Deo tolerari inquit in multa patientia. At opera propria, ex liberrima voluntate profecta, tolerare in patientia nemo dicitur: Ergo alieni operis, Deoq; minimè placiti, apparatio illa vasorum iræ fit, necesse est.

31.

Proverb. 16.

Afferunt fanatici & Solomonicum illud, Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus; Impium quoq; ad diem malum.

32.

Lud. Lauat.
in hunc locum.

Respondeo verbis ipsius Sacramentarij cuiuspiam, Non est ex his verbis colligendum, Deum condidisse impium, ut impium. Nam impius ut impius non est ex Deo: sed ex patre Diabolo Ioan. 8. Nec de creatione loquitur: sed de gubernatione illius, qua

qua etiam impiorum animas sic gubernat, ut ad gloriam suam faciant.

33.

Deniq; Palmarium in ijs locis collocant, quæ de induratione, excæcatione, in reprobum sensum traditione in Scripturis expressa habentur, qualia leguntur Exod. 4. 21. Ego indurabo cor Pharaonis. Exod. 9. 16. In hoc ipsum posui te, ut in te ostendam potentiam meam, Iob. 12. 24. Deus immutat cor principum populi terræ, decipit eos, & errare facit quasi ebrios, Ezech. 14. 9. Propheta cum errauerit, ego Dominus decepi Prophetam illum. Rom. 1. 28, Tradidit eos Deus in reprobum sensum. &c.

34.

Hæc enim omnia reprobationis illius æternæ effectum esse statuunt, imò ista, & horum similia omnia non ad voluntatem Dei tantum simplicem: sed etiam ad operationem quandam diuinam referre non erubescunt.

35.

Ad hos scrupulos expediendos primùm in conspectu esse debent *γνώμαι* illæ Scripturarum, Nemini mandauit Deus impiè agere. Non Deus volens iniquitatem, tu es, Deus neminem tentat Iacob. 1. 13. Ne dixeris, Deus me implantauit, per Deum factum est, ut deficerem. Eccl. 15. 11. Similiter Deo sunt odio impius, & impietas ipsius. Sap. 14. 10. Et cum teste Augustino, Nemine sapiente autore quisquam fiat deterior, & secundum eundem, Quæ me autore imperanteq; fieri necesse est, eorum ego autor meritò censear: Christianorum nomine indigni sunt habendi, qui Deum naturâ bonum, mali causam vel pra-

D

uæ cuiusquam aut voluntatis aut actionis autorem statuunt, siue excitantem, siue suadentem, siue impellentem.

36.

Notandum insuper in Scripturis opera eadem & ad Deum & ad Satanam referri quandoq; consideratis nimirum in vno eodemq; motu, actione & passione, rebus planè diuersissimis. Sic in direptione bonorum Iobi & culpa erat, & poena, actioq; praua rectæ passioni iuncta. Quatenus igitur calamitas fuit, ad Deum: quatenus culpa, ad Satanam autorem refertur eadem direptio.

37.

Obseruandum & illud, Deo tribui in Scripturis opera, quæ non agente, sed permittente ac deserente eodem perpetrantur: Sic decipit, non deceptionem faciendo: sed vt fiat, permittendo. Qua eadem ratione excæcare etiam atq; indurare dicitur.

38.

Quod si peccata peccatis maximè puniat Deus, adeò vt nec actio, nec passio honesta sit: certum tamen est, Deum non facere propriè, quæ facere in superficie literæ asseritur. Tribuuntur igitur illa Deo impropriè atq; figuratè, idq; trifariam. 1. Cum sublata Dei gratia, Spiritu & lumine error, tenebræ, peccata sponte sua ingruant: indurare, excæcare, errare facere dicitur, cum bonis contrarijs impios destituit. 2. Quia ad iudicia sua exequendo ministro Satana vitur, ipse quandoq; facere dicitur, quæ à Satana patrantur. 3. Sicut sol vnus idemq; natura existens, secundum diuersas obiectorum essentias alia liquetacit, alia indurat: sic vna & eadem luce Dei fit, vt per occasionem excæcentur prauis impiorum oculi, quæ piorum animi illuminantur.

Summa

39.

Summa igitur responsionis huius primæ hæc est. Deum æterno absolutoq; voluntatis occultæ decreto, neminem à salute exclusisse: ad damnationem hominum, imò etiam diabolorum neminem condidisse; autorem peccati, mali cuiusquam effectorem, exitij ullius causam piè, verè, propriè statui nulla ratione posse.

40.

Ex quo iam est alterum illud consequens, sic fuisse ab æterno, sicq; esse etiamnum, ac fore usq; ad finem mundi, voluntatem eius erga totum, quod in terris vivit, genus humanum comparatam, ut ex æquo serio omnes saluos cupiat.

41.

De hac voluntate Dei, Scriptura disertis testimonijs nos edocet: Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Non vult Deus perire aliquos: sed omnes ad poenitentiam reverti. Conclufit Deus omnes sub infidelitate, ut omnium misereatur.

1. Tim. 2. 4.

2. Pet. 3. 9.

Rom. 11. 32.

42.

Imò factis ipsis Deus voluntatem istam testatam fecit. Creavit enim Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Quod factum utiq; non fuisset, imò ne quidem fieri vlla ratione potuisset, si absoluto æternæ voluntatis decreto vel vnum ex toto genere humano indiuiduum, exitio sempiterno destinatum à Deo fuisset.

43.

Planius hanc voluntatem testatam fecit Deus ipso redemptionis nostræ opere. Filius enim Dei

D 2

media-

mediator constitutus est à patre totius mundi. Idem
expiatio factus est pro peccatis vniuersi mundi. Ap-
paruit enim gratia, bonitas & humanitas saluatoris
nostri Dei, salutaris omnibus hominibus. Et sic dile-
xit mundum Deus, vt Filium suum dederit vnigeni-
tum, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed ha-
beat vitam æternam.

44.

Deniq; opere sanctificationis passim id etiam fe-
cit testatissimum Deus. Euangelium suum prædicari
Christus iussit omni creaturæ: baptisari præcepit om-
nes gentes: ab Eucharistiæ suæ vsu ita exclusit ne-
minem, vt omnes ex calice benedictionis bibere ius-
serit, adeoq; ne proditorem quidem suum ab eodem
repulerit. Et exijt sonus Apostolorum in vniuersam
terram, & ad fines orbis verbum ipsorum.

45.

Nec ficta aut simulata est hæc vocatio: sed rem-
feriam agit Dominus, adeò vt lachrymis etiam im-
pœnitentiam Ierosolymitanorum pereuntium pro-
secutus, multoties voluisse se testatus sit colligere
iplos perinde, vt gallina pullos suos colligit. Cui vo-
luntati gens Iudæa pertinaciter tamen restiterit. Imò
iuratus etiam de hac voluntate sua certos nos Deus
Opt. Max. reddidit.

46.

Obijcitur oraculum illud Dei asseuerantis, Mi-
sereor, cuius misereor, & commisereor, quem commi-
seror, quasi inter miserandos ipse distinguat Deus, &
se non omnes dignari misericordia sua ostendat.

47.

Vis hæc est & deprauiatio diuini oraculi. Neq;
enim

enim à misericordia sua mortalium quenquam his
verbis excludit Deus (sic enim stare non posset illud
Rom. II. Conclufit omnia sub incredulitate, vt o-
mnium mifereretur) sed hoc restatur primum, se verè,
atq; ex animo curare miseros, quorum miferetur o-
mnium. Tum illud docet, non pro humanorum me-
ritorum atq; axiomatum respectu, sed mera bonitate
se moueri, vt mortalium miferetur.

48.

si rogent aduersarij, Cur ergo non saluentur
omnes, cum voluntati eius nemo sit, qui resistere pos-
sit: & Dominus noster in coelo omnia quaecunq; vult,
faciat.

49.

Respondeo, Haftenus voluntatem istam simpli-
cem esse atq; indeterminatam: & hoc ipso nomine v-
niuersalem. Vbi enim ordinatum ac determinatum
est nihil, res quævis in genere vniuerso vertatur neces-
se est.

50.

Vt mirum perquam sit, quod & reprobationem,
& electionem ad absolutam Dei voluntatem Sacra-
mentarij referant, in quibus tamen tam enormis est
discrepantia & contrarietas. Nam si simplicis vtraq;
voluntatis est, aut reprobari omnes, aut electos esse
omnes, ac saluari necessum foret, cum absolutum ter-
minis non sit astrictum, ac proinde determinationem
non admittat.

51.

Cæterum vt salus mortalibus obtingat, simplex
illa atq; absoluta bonitatis voluntas in Deo non suf-
ficit: sed ad ordinationem porro eiusdem est respi-
ciendum, quæ hæc est, Quod saluos vult Deus ho-

D 3

mines

mines vniuersos: sed ordine credendi in Christum
Mediatorem ac redemptorem generis humani.

52.

Ex quo contrarium est consequens, Qui ordinem
istum non sequuntur, eos non saluari, non absoluto
voluntatis, decreto aut placito, quod in causa salutis
aut damnationis factum esse vllum imò fieri etiam
potuisse, ratio nulla patitur: sed composito illo vo-
luntatis ordinatæ iudicio, quæ iustitiæ non minus,
quàm misericordiæ complexum habet.

53.

Hinc ergo pereunt homines aliqui: aliqui sal-
uantur; neutrum absoluta Dei voluntate (hac enim
istic posita, Deus non posset dici, Non velle mortem
peccatoris: hinc verò concessa eadem, redemptionis à
Christo factæ omnimoda fieret exclusio) sed ordina-
ta vtrumq;.

54.

Matth. 22.
14.

Obijciunt Christi gnomen, Multi vocati, pauci
electi. At nihil isto dicto proficiunt. Est enim ἀγνοία
ἐλέγχος, & ἀλενοζία terminorum ab electione, ad sim-
plicem atq; absolutam in Deo voluntatem conclude-
re, quæ sunt inter sese diuersissima. Id quod in sequen-
tibus quæstionibus manifestum magis euadet.

55.

Quæritur porro, Num vna sit numero voluntas
de saluandis hominibus in Deo, an multiplex?

56.

II. Quæstio.

Vna certè. Nam vt misericordia in Deo non est,
nisi vna, qua sola benè velle saluti hominum Deus
intelligitur: ita voluntas non est nisi vna, qua erga sa-
lutem hominum Deus afficitur.

Et

57.

Et ut vnum duntaxat foedus est, quod inter homines disposuit Deus sempiternum: salus item vna ^{2. Reg. 22} atq; eadem, qua illi potiri possunt: ita voluntas etiam ^{5.} clemens & benigna saluandi non est nisi vna atque eadem.

58.

Geminus tamen eius est respectus, simplex vnus atq; absolutus, qua voluntas illa in sese consideratur quæ pariter sese habet erga omnes: alter se relatè habet ad ordinem, quem saluti hominum misericors Deus ab æterno constituit, qui is est, quem concinnè descriptum habet Apostolus Rom. 8. 30. Quos enim præsciuit Deus, hos prædestinauit: quos prædestinauit, hos vocauit etiam. Quos verò vocauit, iustificauit etiam: Et quos iustificauit, hos etiam glorificauit.

59.

Deinde voluntatis huius vnus & eiusdem gemina etiam est conditio: Alia enim illius est ratio, quatenus ab æterno in Deo illa plurimis seculis fuit abscondita: alia quatenus nunc est eadem in Euangelio nobis patefacta. Sed est tamen illa vtrobiq; vna atq; eadem, nimirum ea ipsa, quæ in verbo Euangelij reuelata est.

60.

Memorabilis hic error est, quo fallunt & falluntur Sacramentarij, duplicem in Deo fingentes voluntatem, qua erga hominum salutem sit affectus, imò hoc quasi *λίαν μέγα αίτημα* fumentes, occultam vnā: alteram reuelatam.

61.

Et quidem non ire possumus inficias, in Scripturis

ris quo ad superficiem literæ, tale quippiam subinnotuit.
Rom. 16. 25. Fit enim ab Apostolo mentio Mysterij temporibus
Eph. 1. 9. æternis taciti: ponitur ab eodem Mysterium volun-
Eph. 3. 9. tatis: mysterium absconditum à Deo ab æterno, & si-
mila.

62.

Est enim omninò, vt Apostolus loquitur, ὁμολο-
1. Tim. 3. 16. γουμένως μέγα μυστήριον τῆς εὐσεβείας, quo pro sua mise-
ricordia perditum genus humanum, ad salutem rur-
sus Deus asseruit.

63.

Coloss. 1. 26. Et verè fuit hoc, vt idem scribit, à seculis & gene-
rationibus absconditum, nisi quod exiguum gustum
& quasi vmbra quandam huius lucis acceperunt
patres testamenti veteris.

64.

Sed pessima scotomia ab ijsdem Sacramentarijs
laboratur, quod ijsdem, ex quibus mysterij huius ar-
canum hauserunt, locis non perspexerunt, quæ con-
tinua oratione Spiritus sanctus iuncta esse voluit.

65.

Nam Rom. 16. prædicatio Euangelij, reuelatio
esse mysterij illius dicitur, quod à temporibus æter-
nis fuerit tacitum.

66.

Ephesiorum 1. 9. Mysterium illud voluntatis di-
uinæ de salute hominum nobis reuelatum esse scribi-
tur.

67.

Coloss. 1. 26. Mysterium à seculis & generatio-
nibus absconditum nunc manifestum esse sanctis scri-
bitur.

68.

2. Tim. 1. 10. Alibi propositum Dei & gratiam in Christo Iesu
datam

datam nobis ante tempora secularia, iam esse scribit
Apostolus manifestam per apparitionem Seruatoris
nostri Iesu Christi.

69.

Voluntas ergo quæ arcana quondam atque in
Deo abscondita erat, iam est in Christo reuelata, per
Euangelium toti mundo manifestata, ut iam dicere
absconditam nihilo magis liceat, quam lucem appel-
lare tenebras.

70.

Nec largiri aduersarijs vlla ratione possumus, vo-
luntatis diuinæ ac propositi de salute hominum quic-
quam esse absconditum. Multò minus id concedere
possumus. Esse in Deo voluntatem aliquam de salute
nostra absconditam, quæ ab ea, quæ in Euangelio
reuelata est, sit diuersa.

71.

Quidquid enim ab æterno voluit, decreuit, pro-
posuit, ac definiuit Deus de salute hominum, quod
substantiam ipsam salutis, ac partes eius, causasq; ac
media necessaria concernit, horum ne gry quidem in
arcano retinuit Deus, quin omne in Euangelio nobis
reuelauerit.

72.

Hinc Apostolus prædicato Ephesijs Euangelio, *Act. 20. 27*
nihil se subticuisse ait, quin ipsis omne consilium Dei
annuntiauerit.

73.

Idem Sapientiam Dei sese loqui scribit in myste- *1. Corinth.*
rio latentem, nimirum occultam illam, quam præfi- *2. 7.*
nierat Deus ante secula in gloriam nostram.

74.

Quod si diuersa est nulla, quæ in Deo lateat, de
E salute

salute generis humani voluntas: quis nisi ~~esse~~ finger
ibi talem, quæ sit ei, quam in Euangelio habemus re-
uelatam, planè etiam contraria?

75.

Iam dixit in Euangelio, velle se, vt omnes salui
fiant. Non velle se mortem cuiusquam peccatoris. Væ
ergo impietati Sacramentariorum, qui contrariam in
Deo statuunt voluntatem, qua velit atque ab æterno
absolutè voluerit, maximam generis humani partem
exitio esse deuotam.

76.

Quam impietatem vleisci Deus commodius vix
potuit, quàm quod mendacij stigmatè in prima statim
fronte notauit. Si enim occulta est, vnde ipsis quæso
innotuit. Ergo aut occulta non est illa voluntas: aut de
ea re loquuntur Sacramentarij, cuius perspectum ne
tantillum quidem habent.

77.

III. Quæstio.

Quæstio est præterea, An voluntas illa in Deo
misericors, qua saluos velit homines, de qua est hæc-
tenus dictum, sit cum electione ipsa vnum atq; idem.

78.

Hoc quidem sentiunt Sacramentarij, qui cupere
Deum cuiquam benè non concedunt, nisi electo, &
quos saluatos illum velle audiunt, statim in electorum
censu esse reputandos arguunt, vt voluntas misericor-
diæ ipsis idem sit, quod electio.

79.

At differunt ista inter sese plurimum, quod ra-
tiones docent manifestæ. Si namq; misericors illa
voluntas cum electione idem esset, conuertibilia ista
esse inter sese necessum foret, At non sunt. Electos
enim

enim vult quidem miserator & misericors Deus omnes saluatos. At non vice versa, quoscunque ille saluatos vult, sunt electi. Multi enim sunt vocati, quos utiq; Deus saluos vult: Sed pauci sunt electi.

80.

Iam miseratione ad principium nudæ atq; absolutæ voluntatis refertur ab Apostolo. Si enim quæras, cur *Rom. 9. 15.* hominum misereatur Deus, vnica, summa, prima causa redditur ex voluntate Dei nuda atq; simplice: Misereor cuius misereor, inquit Dominus, & clemens sum in quem mihi placuerit. Electionis autem principium *Exo. 33. 20.* non ad voluntatem absolutam refert Apostolus: sed ad limitatam, nimirum misericordiam. Non enim vo- *Rom. 9. 16.* lentis, sed miserentis Dei electio esse dicitur.

81.

Denique miserationis voluntas salutem hominum nudè respicit. Electio siue prædestinatio, Modum etiam salutis siue ordinem implicat. Inter duo igitur ista accuratè hanc materiam tractaturi meritò distinguunt.

82.

Quæritur vltèrius, num electio sit absoluta, an *III. Quæ-
stio.* verò ordinata.

83.

Absolutam dicunt Sacramentarij, qualem etiam statuunt Reprobationem. Nec mirum id quidem. Cum enim cum voluntate diuinæ misericordiæ eam simpliciter vnā statuunt, quid nisi absoluti istam quoq; principij esse dicere possint?

84.

Imò memorabile est etiam, quod Beza scribit, *In N. Testa.
super Rom. 9.* Misericordiam esse causam prædestinationis subor-

E 2

dina-

dinam. Sic igitur eligentur electi sine misericordia, quam nos electione priorem esse ordine modis omnibus statuimus, sic edocti ab Apostolo, Qui non volentis, sed misericordis Dei electionem esse asseruit.

85.

Habet hoc aliquid in recessu. Si volentis dixisset, absoluta hinc videri queat electio: Est enim voluntas Dei, ut summum ac primum: ita absolutum etiam earum rerum, quæ ad illam immediate referuntur, principium.

86.

Nunc misericordis Dei electionem esse pronuntiat, ne absolutam esse, suspicandi occasionem cupiam præbeat.

87.

Ordinam ergo esse eam nos statuimus, à qua conditione Prædestinatio siue electio genere ordinationis, siue actionis & causæ ordinantis in negotio salutis ab orthodoxis definitur. Quo respectu Apostolus catenam illam suam auream Rom. 8. 30. instituisse videtur.

88.

Iam voluntas in Deo miserans, electionem ipsam nondum constituit: sed modo suo atq; ordine determinata, electionem demum efficit. Quin igitur generis non sit absoluti, sed ordinati satis perspicuum euadit.

89.

Accedit quod Electio fit ex temperamento quasi iustitiæ & misericordiæ. Hanc voluntas Dei: illam conditionis ordo respicit. Qua in re monstrari ordinem, res ipsa consideranti suggerit.

Ordo

90.

Ordo autem monstratur in Scriptura. Electi enim *Eph. i. 4.* dicuntur non simpliciter atq; absolutè; sed electi in Christo, dicente Apostolo, Elegit nos Deus in Christo, ante constitutionem mundi. Item prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum. Electi tunc subiungit Apostolus vocationem; Vocationi Iustificationem, quæ est ex fide: Iustificationi glorificationem.

91.

Hæc cum non ignorent Sacramentarij, & millies ipsi scriptitant: mirum est, quæ cæcitate pios absolutò voluntatis diuinæ decreto electos esse statuunt. Excludunt enim ista duo se inuicem. Si absoluta est electio, ordinata non est. Sin ordinata, cur absolutam ipsi appellitant? quæ asserta; in fumos quasi abit, vniuersum redemptionis nostræ ac sanctificationis mysterium: & fenestra aperitur, vel desperationis vel securitatis in mundo augendæ atq; propagandæ.

92.

Amplius quæritur: Num electio saluandorum sit *V. Questio.* vniuersalis, an particularis. Et si particularis, num illius particularitatis causa in eligente Deo, an homine resideat?

93.

Vtrumq; sunt fortasse, qui inter Orthodoxos affirmare audeant: sed cum verborum magis, quàm rerum ipsarum: quæ vel sibi, vel alijs contradicant, pugnantia.

94.

Vniuersalem dicunt aliqui, non eo, quem Sacramentarij nostri Ecclesijs affingunt, sensu, quæ ut *Negat. 12.* Tof-

E 3

sanus.

Iam loquitur, canes, lupi, porci, & impuri omnes atq; reprobis, mortis Christi beneficio fruantur, & omnes indifferenter à peccatis mudentur, & in templum Dei sanctificentur. Quid enim affingi nostris Ecclesijs ineptius ac monstrosius vnquam posset?

95.

Nunquid enim ordinatam non esse electionem docemus, quæ sit nulla extra Christum? Christus autem nullus sine fide: fides denique nulla sine fructu operum.

96.

Iam multi dicuntur à Christo vocati: non omnes. Vocationem autem intelligit, quæ cum præsentis prædicationis auditu est coniuncta. Qua cum ne quidem vocatos omnes esse noverimus: qui nam electos omnes esse opinemur, qui extra vocatorum coetum electos nunquam esse communi Theologicarum scholarum regula moniti sentimus?

97.

Et credi à nobis infernum ac damnationem extremumq; iudicium, non solis diabolis: sed humani generis parti maximæ destinatum mundo vniuerso notius est, quam vt apologia operosa indigeat. Proinde Angelorum, totiusq; mundi reliqui, vt & conscientia aperto testimonio freti, aduersariorum *φλογισ* hac parte non moramur.

98.

Electiois autem vniuersalis termino vtuntur fortè aliqui, primum ea occasione, & in eo gradu, quo Sacramentaria doctrina figmentum de absoluta damnationum reprobatione, absoluta itidem piorum ad salutem prædestinatione oppugnant.

Nam

Nam quia voluntatem Dei de salute hominum generalem atq; simplicem, electionem Sacramentarii appellant: hac autem reprobos esse ab æterno à Deo præteritos, atq; ab eadem exclusos affirmant, in quo utroq; tamen à veritatis diuinæ norma grauitè aberrari hæcenus iam ostendimus: sincerioris doctrinæ assertores, Electionis terminum ab aduersarijs mutuari, quia voluntate illa generali neminem à Deo præteritum, atq; absoluto proposito decreto neminem reprobatum esse piè astruunt, ex significationis Sacramentariæ sensu, electionem esse vniuersalem dictitant, quia voluntas illa electionis *πρωτόγῳι*, qua electio causatur, huius generis est, ut omnes omnino homines saluos esse cupiat.

Ergo quemadmodum Christus Sadducæorum *Matth. 22.* hæresin impugnans, qui in nihilum planè redigi mortuos opinabantur, Mortuorum vocabulo vitur improprie ex hypothese, hoc est, ex illorum sensu, dicens, Deus non est Deus mortuorum (intellige sensu, Pharisaico sic dictorum. Nam alias Deus mortuorum etiam Dominus est Rom. 14. 8.) ita mutuatitio sensu vocabuli istius, quo pro voluntate Dei absoluta atque generali accipitur, Electionem vniuersalem appellare in hoc disputationis termino, aliqui non exhorrent.

Iam quia non confuse tantum & generatim salutem omnium hominum vult Deus: sed hæc etiam ad Electionis causas subordinatas se extendit voluntas (cupit enim Deus etiam vocatos omnes, scilicet præcipit,

pit, ut credant Euangelio omnes, vult & iustificatos
denique saluatos ac glorificatos) haud dubie hinc et-
iam, quia subordinata electionis media offeruntur o-
mnibus, indefinito isto sensu Generalem dicere ele-
ctionem piaculo sibi nulli ducunt aliqui.

102.

Verum quia Electio proprie ac strictè sic appel-
lata, non intra solos generalis atque absolutæ in Deo
voluntatis terminos vertitur; sed ad ordinem à Deo
constitutum præcipue astringitur, qui hic est, ut non
sint electi homines, nisi in Christo Iesu, qui cum per
fidem homines vnicè coalescunt: præcipue autem fi-
nis euentu saluari definitur eadem, nimirum cum
voluntati Dei misericordissimæ, & ordinationi ab ea-
dem constitutæ iustissimæ, exitus in hominibus feli-
citer respondet, hoc sensu aliam, quàm particularem
dicere electionem salua veritate pietateque, minime
possumus.

103.

Hinc liber Concordiæ symbolicus, Electionem
& prædestinationem Dei non promiscue ad bonos &
malos: sed duntaxat ad filios Dei pertinere affirmat.

104.

Matth. 20. Imò Christus ipse, non Omnes: sed paucos esse
22. electos in suo epiphonemate Euangelico pronuntiat.

105.

Et non succurrit vllum Scripturarum testimonium
quo absolute omnes electi esse perhibeantur. Nam
quod electos nos à Deo esse scribit Apostolus inde-
finite Ephes. 1. 4. satis constat ex præcedentibus,
quos nam ista communicationis figura inclusos intel-
ligat. Et à potiori semper parte fieri appellationem,
ipsa

ipsa Ecclesiæ vox ostendit, quæ hoc nomen non ab omnibus, qui in ea visuntur: sed à sanctis solis, Deo notis appellationem habet.

106.

Electi ergo nunquam nisi finis atq; euentus salutaris implicatione definiuntur, qui est fides ad finem perseverans, salus ac beatitudo, Qui enim hac potiuntur, soli verè ac propriè electi appellantur.

107.

Huius autem particularitatis non est ea ratio, quam impiè fingunt Sacramentarii, quasi ab æterno Deus voluntate quadam absoluta, simplice, & causas omnes antegressa, tale quoddam inter homines condendos discrimen constituerit, vt immutabiliter decreuerit, alios quidem, eosq; paucissimos, nullo fidei respectu, saluare: alios autem, eosq; plurimos, nullo impietatis intuitu æternæ damnationi mancipare. Impietate enim ipsa magis impium esse hoc dogma hætenus ostendimus.

108.

Verum hinc emergit illa particularitas, quod diuitias bonitatis diuinæ impiè pleriq; contemnunt, Rom. 2. 4. quod veram lucem, in hunc mundum venientem non recipiunt. Ioh. 1. 11. quod tenebras magis, quàm lucem diligunt. Ioan. 3. 19. quod filium Dei audire, quem audiendum præcepit Pater cælestis, recusant: & tempus visitationis suæ, atq; ea quæ ad pacem suam faciunt, cognoscere, Luc. 19. 44. imò à Christo congregari planè nolunt. Math. 23. 37. nonnulli etiam rursum sibi crucifigentes Christum, & post acceptam veritatis notitiam, voluntariè peccantes Hebr. 6. 6. & 10. 26. & eum, qui redemit ipsos, rursum abnegantes, 2. Pet. 2. 1.

F

Cau-

Os. 13. 9.

109.

Causa ergo particularitatis istius tota residet in ipsis, teste ipso Domino. Perditio tua ex te Israel. Quod si crederent omnes, atq; in fide persisterent, nihil ex parte Dei obstaret, quin saluarentur, atq; in electorum numero censerentur. Nunc ordinationi diuinæ resistentes, suo & malo & culpa omnes isti pereunt.

110.

Quo ipso patet etiam, hanc electorum paucitatem, siue electionis particularitatem, promissionum Euangelicarum vniuersalitati non esse oppositam, sed inclusam eidem & subordinatam. Quia enim vult omnes saluos, sed sub conditione fidei in Christum: efficitur, vt qui credere nolunt, non diuinæ voluntatis: sed propriæ improbitatis culpa excidant salute.

111.

Vniuersalitas autem promissionum, fidei nota non restringitur: sed modificatur quodammodo & determinatur.

112.

VI. Questio.

Hic alia quæstio oritur, Num electio à fide hominum pendeat: an verò fides ab electione?

113.

Vtrumq; suo modo haud incommode dici posse arbitramur. Quia enim ordinata est electio, quatenus inter ea, quæ mutuo ordine se respiciunt, mutuus quidam nexus est, hætenus & ab electione fidem, & illam ab hac pendere, absurdum non est statuere: siquidem non sunt à Deo electi, nisi credentes, si fidem non initio duntaxat: sed sine etiam & perseverantia metiaris: rursus fidem istam nunquam habent nisi electi.

Pen-

Pendet ergo ab electione fides, quemadmodum à determinato sua determinatio seu conditio, vel ab ordinato suum subordinatum: non ut effectum à causa.

Rursus pendet à fide electio, non quidem ut à causa impulsiva, aut meritoria, quod Tossano facile largimur. Ob fidem enim præuisam, ut & opera quævis, nemo quisquam à Deo est electus: electionis verò causæ sunt eadem, quæ & iustificationis. Nec quia sancti futuri eramus, ideo nos in Christo elegit Deus ante mundi constitutionem: sed elegit, ut essemus sancti Ephes. I. 4.

Verum intuitu tamen, id est, sub conditione fidei nos esse electos, qui negat: vniuersum quasi mysterium electionis evacuat.

Et quemadmodum Deus non quidem propter fidem (cuius per se consideratæ qualitatibus ferè eadem est semper, quæ reliquorum habituum atq; operum in credentibus ratio, imperfecta scilicet & immunda) sed per fidem tamen credentes iustificat, ut hæc in aliquo saltem causarum iustificationis gradu consistat: ita in electione non impulsione quidem aut meriti: sed conditionis tamen ordinatæ locum fides hominum occupat.

Estne ergo certus ac definitus electorum numerus: An verò ita incerto salus ac damnatio hominum VII. *Questio* passu ambulat, ut fortuito damnentur improbi, & in utramque partem de genere humano Deus nihil *Affirm. 8* constituerit, ut Tossanus Ecclesias nostras insinuat? *Neg. 2.*

119.

Quia improbi possunt non damnari, qui non absoluta necessitate damnantur, sed suapte culpa, & proprii interuentu arbitrij: haecenus fortuito damnari improbi dicendi sunt.

120.

*L. imperf. de
Gen. ad lit.
c. 5.*

Sin ordinationi diuinæ particulam fortuito opponas: tum minimè damnantur improbi fortuito. Vitiorem .n. nostrorum, teste Augustino, non est quidem autor Deus, sed tamen ordinator, cum eo loco peccatores constituit, & ea perpeti cogit, quæ merentur.

121.

Minimè autem in incerto reliquit Deus, aut nihil prorsus constituit, quid de genere humano in vtramq; partem futurum sit. Constituit enim de vita & salute certissimum illud, Qui credit, saluatum iri. De damnatione verò, Qui non credit, damnandum esse.

122.

Et hoc quidem ab æterno, atque immutabile à Deo constitutum est decretum, vt in suspenso causa ista minimè relicta sit.

123.

*De Ciuit. Dei
l. 14, c. 26.* Si de numero quæras saluandorum certo, damnandorumq; consimili, Augustini verbis respondemus, Omnipotenti Deo, summo, ac summe bono, creatori omnium naturarum, voluntatum autem bonarum adiutori ac remuneratori: malarum relictori ac damnatori: vtrarumque ordinatori, non defuit vti que consilium, quo certum numerum ciuitatis sua sapientia prædestinatum, etiam ex damnato genere humano suæ ciuitatis impleteret.

At

124.
At certam istam numeri finitatem non absoluti
decreti abyſſo; ſed euentu fidei metimur, neq; à diui-
næ voluntatis propoſito, ſed omniſcientiæ diuinæ
præſcientia ſuſpendimus.

125.
Hoc eſt enim, quod teſtatur Paulus, prædeſtina- *Rom. 8. 29.*
tos eſſe à Deo, quos præſciuerit, ſubintelligimus nos,
credituros. Non quod præteritum aut futurum tem-
pus Deo propriè competat, in quem vt loci: ſic tem-
poris conditio nulla cadit: ſed quia ſic *ἀνθρώπων ἀπὸ αἰώνος*
Scriptura loquitur.

126.
Hæc præſcientia, quia certa eſt, neq; vnquam fal-
litur; hinc iſti certus quidem conſtat Electorum nu-
merus, qui ratione huius præſcientiæ neque augeri
potest, neque minui.

127.
Verùm præſcientia iſta cauſa non eſt præuiſæ fi-
dei. Enimvero vt & in quibus futura eſt, præuidet,
præuiſura idem ab æterno, ſi multa hominum millia
amplius, quam credunt, creditura fuiſſent.

128.
Eſtne igitur, vt finem tandem quæſtionibus im- *VIII. Quæſtio.*
ponamus, fides in humanæ voluntatis poſita arbitrio,
vt præuiſioni duntaxat, non liberali donationi diuinæ
in ſolidum tribuenda ſit?

129.
Fidem eſſe donum Dei indubitatè ex Scripturis
raturum eſt. *Col. 2. 12. 2. Theſſal. 3. 2. Philip. 1. 29. & alibi.*
Quibus ergo fidem non largitur Deus, nunquam cre-
dituri ſunt.

130.
Largitur autem fidem Deus non immediatè: ſed

per organum Verbi prædicati & auditi. Fides enim
Rom. 10. 17. teste Paulo, ex auditu: auditus autem per Verbum
Dei, intellige Euangelici.

131.

Rom. 1. 16. Verbum istud potentiam Dei appellat Aposto-
lus: potentiam autem ad salutem credentibus.

132.

2. Cor. 16. Nam quamvis idem verbum aliquibus interdum
odor mortis fiat ad mortem: euentualiter tamen id
duntaxat contingere, non virtute verbi propria atque
naturali, res ipsa testatur.

133.

Beza resp. 2. Blasphemiam igitur esse censemus, quod verbum
Colloq. f. 96. Euangelij inquit Sacramentarij hoc solo fine, &
& 149. hanc vnā ob causam prædicari reprobaris, non vt
eo conuertantur: sed grauius indurentur atq; excæ-
centur.

134.

Quo eodem loco habemus eorundem geminum
figmentum, de tractu duplici Dei item vocatione Dei
duplici, Efficace vna, inefficace altera.

135.

Nam quamvis opera quidem sunt diuersa, Foris
prædicare, Intus conuertere, & credentem tacere:
quorum illud ministro, hoc Deo, primum ac propriè
competit: tamen vna actio est, vnum atq; idem ver-
bum, prædicatio eadem, qua hominis conuersio effi-
citur: qua facta, non geminus tractus: sed vnus: non
gemina vocatio: sed vna facta esse dicitur.

136.

Iam omnibus vocem istam Euangelij vt diuinæ
potentiæ annuntiare iubet: vt vocem istam Filij sui
audiant, omnibus Deus præcipit, & per auditum eius-
dem

dem sese fore efficacem pollicetur ad fidem & conversionem hominum.

137.

Iam quamuis rerum spiritualium sumere sibi nihil potest homo, nisi datum ipsi fuerit desuper, licet vel gratiam ipse promereri, vel ad eam capeflendam sese præparare non renatorum nullus possit: imò verbum ipsum auditum, adeò in sese efficax non reddere, vt ne assensum quidem ipsi præbere queat. Tanta est enim, qua naturaliter corrupti iam sumus, deprauatio, teste Apostolo 1. Corint. 2. 14. 2. Cor. 3. 5.

138.

Tamen id præstare saltem potest, vt audire Verbum possit, quod est ad generandam fidem efficax Christi *ὁ χριστός*: quod fecisse Berrhoenses leguntur, *Act. 14. 17.* quod factitasse etiam Herodes scribitur, diuerso vtrique *Mar. 6. 20.* euentu atq; exitu.

139.

Hic igitur tandem pes figatur; Non habent multi fidem; non id sanè inuidente eam illis Deo, aut negante accidit, sed nolentibus ipsis. Poterant enim si voluissent, credere, quia id nimirum poterant præstare, quo facto, Deus fidem ipsis haud dubiè largiturus fuerat, si non obstinatè statim Spiritui Sancto obstrepuissent: sed exemplum Berrhoensium imitati, sedulo Scripturas voluere, & Verbum Euangelij studiosè ruminari voluissent.

140.

Est hæc illa, quam Sacramentarijs opponere libuit, de hoc capite mysterij tractatio: contra quam quos flores, quas elegantias proferat Tossanus, obiter perstringere iam allubescit.

Primum

141.
Primum dicit, Creationis finem non fuisse damnationem, sed gloriam Dei. Ultimū nimirum finem intelligit, sed mediatum. Subordinatos ergo fines à se inuicem excludi pueriliter indicat.

142.
Reprobos ait non damnari fortuito. Iam nuper est responsum, quæ hîc ἀντιβολία lateat.

143.
Negat reprobos damnari, Deo simpliciter nolente. At non statim inde sequitur, quod sentit & prodere non audet Tossanus, volente Deo damnari reprobos. Restat enim tertium, ut non volente pereat ac damnetur, quem simpliciter neq; velle neque nolle damnatum Deus verè dici potest.

144.
Negat. 2. Addit Deum non delectari interitu hominum, & omnes velle seruari. Quid vult sibi ergo, quod eius ordinatione & nutu, & non inuito ipso innumeros perire homines, idem paulò post asserit? Sed speciem boni dicti ocyus ipse corrumpit, addens, eos scilicet, qui ad veritatis agnitionem veniunt. Ergo cæterorum delectabitur interitu. Quod cum iuramento Dei diserto pugnat.

145.
Sua culpa pereuntes, meritò tamen reprobos dici asserit. Fatemur, si reprobos Scripturæ sensu accipiat, quo Paulus se quoq; quamuis electum, reprobum posse fieri ostendit. At si absolutum reprobationis dogma suffarciar, concessionem reuocamus.

146.
Quod non dari illis inquit fidem in Christum: ratum est: At offerri tamen non negari potest, imò oblatam etiam repudiari.

Negat

147.

Negat à Patre trahi reprobos. Planum hoc. Si enim traherentur, ad Christum utiq; venirent. Sed interim patrem istos etiam trahere noluisse aut nolle (quod est in controuersia positum,) id minimè obtinebit, teste Christo, Quoties volui te colligere &c. Math. 23. Ioh. 6. 44.

148.

De canibus, lupis, porcis, bis iam satis est responsum; ut & de eo; num & quid de salute damnationeq; hominum certi Deus constituerit.

149.

Absurdum ait dicere, Innumeros homines sine Dei nutu, ipsoque inuito perire, cum ne passerculus quidem absq; eius voluntate in terram cadat. Voluntatis vocem de suo infarcit Tossanus. Sed benè habet, si voluntatem permissionis intelligat. Cum autem hoc ad prouidentiae diuinæ doctrinam pertineat, quæ vniuersalis est, cur ex eo argumentatur ad prædestinationem?

150.

Eligi ob præuisam fidem homines, pro nostro non agnoscimus. Sed ne quidem intuitu fidei eligi, quæ Christum apprehendens, in dilecto nos vnicè Deo placere facit, non admittimus. Quomodo autem credere possint impij, nimirum quia possunt audire verbum, quo fides ipsis subministranda esset, modò est expositum.

THESIS VISI-
tatoria III.

ANTITHESIS SACRA-
mentariorum doctrinam
continens.

*Multos homines Electos & renatos
propria culpa dam- non posse Spiritum
G nari*

nari, qui vel Euange- Sanctum amittere &
lium de Christo audi- fidem, nec damnari,
re recusent, vel gra- etiam si atrocia pecca-
tia excidant, idq; vel ta & facinora perpe-
per errores contra trent.
fundamentum, vel
peccatis contra conscientiam.

TOSSANI THESIS III.

ET quia sancti aeterno atq; immutabili
beneplacito electi sunt, gratuitaq; Dei misericor-
dia nititur ipsorum salus: impossibile est eos planè
perire, & rapi de manu Filij Dei, licet multus lapsibus & in-
firmitatibus sint obnoxij &c.

NEGATIVA III.

Hos errores rejicimus. Electos fidem iustificantem ipsis
datam amittere & excutere.

4.

Deum in sua voluntate, & suis consilijs saepe non con-
sequi suum scopum prevalente diaboli & impiorum vo-
luntate, qui eius voluntatem & consilia de omnibus ser-
vandis, irrita reddant.

5.

Infitos reuera Christo, posse ab ipso separari, & amissa
planè fide, rursus esse sub regno & dominio diaboli, non mi-
nus ac reprobos, & filios gehenna, & perditionis.


6.

Et quod inde sequitur, dona Dei collata in electos &
renatos, esse mutabilia, incerta & renocabilia.

Calc-

Ceterum putida est calumnia, nostras Ecclesias docere, Electos non posse damnari, quacumq; tandem facinora committant. Docemus enim contra, non posse eos damnari, quia insiti sunt Christo, & ab eodem virtute Dei custoduntur per fidem. Et quamvis multis infirmitatibus sint obnoxij, redeunt in viam, & in eos non cadit totius apostasia, & peccatum illud ad mortem, de quo 1. Ioan. 5. 17.

RESPONSIO I.

 Na hic iterum de electione vertitur quaestio, Num electio sit mutabilis, nec ne? hoc est, num necessario saluentur, qui saluantur, sic, ut pereant, aut fidem amittere nequeant: An vero gratia excidere electi queant.

Affirmatiuam nos tenemus: Sacramentarijs deterioriorem propugnantibus.

Et quidem thesis visitatoria multa complectitur. 1. Causam damnationis veram atq; propriam, culpam nimirum humanam. 2. Huius diuisionem. Committitur enim damnationis culpa vel mera infidelitate, vel apostasia à fide semel agnita & gratia accepta. 3. Subdiuisionem. Apostasia enim fit à fide: si error in fundamento admittatur. Lapsus à gratia, si peccatum contra conscientiam perpetretur. Verum hæc omnia quia missa facit Tossanus, suo inhærens delirio vnico de immutabilitate electionis & regenerationis ac fidei, ductus eius sequendus est.

Quod quaestionem principalem attinet, tandem candoris gustum præbet Tossanus, confessus ingenuè, cuius rea pars aduersaria agitur, Primum impossibile esse, ut sancti & electi planè pereant, & de manu filij Dei rapiantur. Tum negat etiam, Electos

fidem iustificantem ipsis datam amittere & excutere.

5.

Zanchus
Miscel. f.
242.

Idem fol. 65.
Vol. Theo. I.
f. 207.

Sentit ergo id, quod suæ farinae alius scripsit, Remissionem peccatorum semel impetratam, per insequentes lapsus in sanctis non fieri posse irritam. Sentit, S. Sanctum semel renato datum cum eo manere in æternum. Sentit, quod Beza scripsit, Petrum abnegando Christum, & Dauidem ruentem in adulterium, non amisisse Spiritum Sanctum, & fidem.

6.

Rennecherus
in cat. f. 157
& 261.

Zanchus
Miscel. f.
72. & 242.

Hæc Sacramentariorum pulchella sunt emblemata: quæ ulterius etiam pinguntur ab alijs, Sæpe complures ex numero electorum esse, qui vitam pessimam ducant. Tamen eos in sua infirmitate maiorem perseverantiam habere, quam Adam in sua perfectione habuit. Imò electos & renatos nunquam peccare, plena voluntate: non esse in illis peccata mortalia.

7.

Ezech. 18.
24.

Prioris membri falsitatem Propheticum illud arguit, Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur, in prævaricatione, qua prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccauit, in ipsis morietur.

8.

Luc. 22. 32.

Christus pro Petro se orasse dicit, ne fides ipsius cessaret, cessatura alioquin utiq; ac proinde salutem cum damnatione permutatura.

9.

Gal. 5. 4.
1. Cor. 9. 27.

Nec aliud ostendit Apostolus, si qui, inquiens, lege iustificari velint, eos à Christo abolitum iri, & gratia omni excisuros. Imò sibi ipsi annitendum ait,
ne

ne alijs prædicans, ipse fiat reprobus. Quæ vana fuit sollicitudo, si electorum salus absolutè est immutabilis.

10.

Equidem quatenus non fallitur diuina præuisio, non in incerto consistit electorum beatitudo. Verum absoluta necessitate decreti fatalis eam esse immutabilem, istinc minimè efficitur.

11.

Immutabili inquit Tossanus, atq; æterno beneplacito electio fit & salus electorum gratuita Dei misericordia nititur. Falsum illud est: id quod supra demonstratum. In posteriore ἔλεγχος est παρὰ τὸ μὴ αἶτιον ὡς αἶτιον. Omnia enim beneficia Dei gratuita nituntur misericordia. Talis etiam fuit Angelorum omnium sancta creatio, primæva protoplastorum innocentia, populi Israelitici electio. At immutabilia proinde non fuisse, res & euentus tristissimus docuit.

12.

Obijcit Christi illud: Nemo rapiet oves meas de manu mea. Fallacia est παρὰ τὸ πῇ καὶ ἀπλῶς, si ipsæ Christi oves esse pergant, & de manu pastoris sui non diffluant, tum ab aliena vi tutos eas esse Christus pronuntiat. Hinc igitur simplicem facere assertionem vitiosum est.

13.

Posterius membrum de fidei & gratiæ immutabilitate plus impietatis & monstrosæ vertiginis habet, imò Epicurismum & ἀθεότην plenè velis in mundum inuehit.

14.

Pugnat cum hoc impietatis dogmate vniuersa Scriptura, adeò vt caput vllum, imò periodum euolui vix contingat, quin profanitas inde illius appareat. Hac in pugna promissiones, obiurgationes, comminationes omnes diuinæ militant, inprimis testimo-

G 3

nia

nia & similitudines, Psal. 57. 13. Ezech. 18. 24. Matt. 25.
12. Luc. 11. 24. Luc. 8. 13. Rom. 11. 17. 1. Cor. 10. 5. Gal.
5. 21. Eph. 5. 6. Hebr. 6. 6. & 10. 26. 2. Petr. 2. 10.

15.

Dent. 9. 20. Docent idem exempla Aaronis, cui ita iratus fue-
1. Reg. 15. rat Deus, ut voluerit eum excindere. Saulis, Iudæ, Da-
25. uidis homicidæ & adulteri: Petri abnegatoris, Tho-
Ioan. 17. 12. mæ articulum fidei negantis de resurrectione Christi,
1. Tim. 1. 19. Hymenæi & Mileti, qui naufragium fidei fecerunt: in-
1. Cor. 5. 5. cestuosi Corinthiaci, quem Satanæ traditum Aposto-
2. Cor. 2. 8. lus, postmodum in Ecclesiam recipit, ut ultro citroq;
credentium & lapsorum conditionem mutabilem
esse ostendat. Et ut mille exempla prætereamus, vnum
ex Calvinistis scire cupimus.

16.

Dum protoplasti lapsum nondum admiserant,
erantne electi & sancti? Sanctissimi & maxime electi.
Lapsum admisso, peccatumne mortale admiserant, &
gratia Dei exciderant. Non inficias ire possunt Sacra-
mentarii. Imò morte mortui erant. Itē ergo o Anda-
bati, & electos ac sanctos, fide, sanctificatione, gratia
semel accepta excidere posse negare pergitē.

17. *Κενὸς φόνος* quærit Tossanus, dum negat doceri
in Ecclesijs suis, electos damnari non posse, quæcūq;
tandem facinora committant. Dicit enim quamvis
multis infirmitatibus sint obnoxij, redire tamen in vi-
am. Nimirum hoc libenter vellet Tossanus, infirmita-
tes esse duntaxat in sanctis, non facinora. At sibi iam
interpretē audiuit Rennecher. Electos sæpē pessimā
vitam ducere, & licet Spiritus sanctus eos regat, tamen
permittere eum ut in magna peccata labantur. Con-
ueniat primum istis Andabatis, tunc de qualitate pec-
catorum eorum, quæ in sanctis nuper recensuimus,
porro deliberabimus.

THEO

THESIS III. Visi-
tatoria.

ANTITHESIS FALSAR
doctrinae.

Omnes peccatores Qui non sunt electi,
pœnitentiam agentes eos necessario damna-
recipi in gratiam & ri, nec posse peruenire
neminem excludi, et ad salutē, etiamsi mil-
iamsi peccata eius in- lies baptisentur. & quo
star vermiculi rube- tidie ad S. Cœnam ac-
ant: siquidem miseri- cedant, & tam sanctē
cordia Dei maior est, & inculpate viuant,
quàm totius mundi quàm qui sanctissimē.
peccata, & Deus o-
mnium suorum operum miseretur.

TOSSANI NEGATIVA VII. & IX.

REprobos qui nunquam ad salutem ele-
cti, & per consequens nunquam in Christo dilecti fuerunt,
re ipsa regenerari, & fieri Dei templum, modò baptisentur,
hunc errorem rejicimus.

Malitiosa est calumnia in extremo ultimæ negativæ Ubiquitariorum,
Nos videlicet docere, perire multos, etiamsi sancti & inculpati sint.
Nam contra docemus, perire meritò reprobos, qui iam nunquam veram a-
gunt pœnitentiam: nec vera fide præditi sunt: sed vel palam impij, vel hy-
pocritæ. Electi verò sanctificantur, ut in eo peccatum non regnet.

RESPONSIO I.

NOua hîc agitur quæstio, Num necessariò da-
mnentur, qui damnantur, sic ut nulla ratione sala-
uari

uari queant, nec ad fidem aut gratiam Dei vnquam perueniant.

2.
Aiunt Sacramentarij. Assertio, falsa nititur hypothesi, absoluto nimirū Reprobationis decreto. Quod nullum esse iam supra commonstratum est. Corruit ergo quod fundamento isti superstruitur. Euangelicarum promissionum vniuersalitati nervos planè impietas huius dogmatis præcidit, & vocationem hominum generalem ad poenitentiam & fidem, in hypocrisin ac lulum conuertit. Quæ quàm sunt à Deo aliena, tam piorum nulli sunt probata.

Beza Montb.
Collo. f. 466.

3.
Appendix illa, His quos Dominus non elegerit, etiamsi millies baptisentur, fidem tamen aut S. sanctum nunquam donari, & exemplorum & testimoniorum nuper productorum euidencia: inprimis parabola Christi Luc. 8. 13. assertione Apostoli Gal. 3. 27. & eiusdem interminatione Heb. 6. 6. & 10. 26. refellitur.

4.
Quàm autem illa cum omni Christiana disciplina grauitè aduersa q. fronte pugnet, & desperationis ac profanitatis solennem Scholam aperiat, res ipsa passim loquitur. Deus errantes conuertat, nos conseruet in veritate AMEN.



AB 61 430

ULB Halle


3

002 694 131



SK





15. 30

DE
PRAEDESTI-
NATIONE

Disputatio Quarta.

SCRIPTA

PRO DEFENSIONE ARTI-
CVLI QVARTI IN VISITATIO-
ne Misnica propositi, aduersus ea, quæ ei-
dem articulo nuper DANIEL TOSSANVS,
Sacramentarius Heidelberg-
sis opposuit.

IN QVA

SVE PRAESIDIO

GEORGI MYLII S.
*Theologiae Doctoris & Professoris
in Academia Ienensi,*

PRO DOCTORATV IN
Theologia consequendo respon-
debit publicè

M. LEONHARDVS HVTT-
ERVS VLMENSIS.

Die XXI. Decembris. Hora &
loco consuetis.

I E N Æ

TYPIS TOBIAE STEINMANI,
ANNO clō lō XCIII.